[illegible]

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

QUAM,

SUMMO NUMINE FAVENTE

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS VOET, J. U. D.

Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ Lugd.-Bat. Profeſſoris ordinarii.

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

PETRUS VANDER BORCHT, Sylvæducenſis.

Die 20 Maji, St. N. locô horiſque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typograph. MDC LXXXVI.

1185. g. 16
9

Prudentiſſimo & Expertiſſimo

DOMINO,

D. JOANNI la GRUE,

Med. Doct. & Chyrurgo Practico Feliciſſimo Amſtelodamenſi.

NEC NON.

D. JOANNI ET PHILIPPO van der BORCHT,

Mercatoribus Solertiſſimis Fratribus meis in æternum colendis.

Se ſuaſque theſes inaugurales ſubmiſſe dedicat & offert.

PETRUS van der BORCHT,

Auctor.

DISTUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA.

THESIS I.

Graviſſimis atque diverſis inteſtina corporis humani cloacam cruciari affectibus in dubium vocari non poteſt, inter quos non ultimum tenet locum *Dyſenteria.*

II.

Ut autem omnem confuſionem, quæ ex nominis *homonumia* exſurgere poſſet, excludam dicere cogor pro omni cruenta alvi dejectione ſumi poſſe, ſtricte tamen iſti cruentæ dejectioni competere ab ulcere inteſtinorum originem ducenti, de qua jam tractare fert animus, definitionemque, cum ab omnibus ſoleat præmitti, primum aggredior.

III.

Inter omnes autem definitiones, quæ ab auctoribus de dyſenteria traduntur maxime mihi præ cæteris arriſit illa Riverii.

I V.

Dyſenteria eſt frequens & cruenta alvi dejectio cum ventris, dolore & torminibus, ab ulcere inteſtinorum dependens.

V.

Duplex ea conſiderari poteſt, una quæ primaria altera quæ ſecundaria dicitur, primaria, quam nullus præceſſit affectus, ſecundaria vero, quæ alium conſequitur affectum.

V I.

Datur & alia differentia ab ipſius cauſis deſumpta, una quæ epidemica, alia quæ endemia appellatur prior aëris & alimentorum vitio ortum debet, ut in caſtris, urbibus obſeſſis & navibus ubi eodem plurimum veſcuntur alimento, ut & aëris diſpoſitionem ad *dyſenteriam* efficiendam efficacem teſtatur Hippocr. *Aphor.* 11. *ſect.* 3., *Si hyems plus juſto frigidior & ſiccior extiterit ver autem pluvioſum & auſtrinum æſtate futuras eſſe dyſenterias.*

V I I.

Poſterior vero eſt ea, quæ à privata cauſa ſeu diætæ vitio & pravis humoribus in corpore prius deliteſcentibus ortum ducit.

V I I I.

Ad cauſas *dyſenteriam* producentes progredior quas duplices agnoſco, alias internas, externas alias.

IX. Cau-

IX.

Cauſæ internæ ſunt humores acriores aut acidiores facti inteſtinorum tunicas derodentes adeoque alvi dejectiones ſolito plures cauſantes.

X.

Cauſæ externæ dyſenteriæ ſunt, quæcunque tales humores generare poſſunt vel jam genitis pravam illam diſpoſitionem dyſenteriæ excitandæ idoneam, inducere.

XI.

Quibus annumerantur alimenta acriora aut putredini valde obnoxia, ut fructus horarii & alii omnes, qui non ſatis maturi devorantur, quibus etiam medicamenta erodentia & venena referuntur.

XII.

Signa ſi ſcrutemur aut diagnoſtica aut prognoſtica occurrunt, alla morbi ſtatum præſentem, hæc vero futurum manifeſtant.

XIII.

Diagnoſtica *Dyſenteriæ* ſigna ex definitione quarta theſi propoſita facile eliciuntur, adeſt enim frequens & cruenta alvi dejectio cum dolore & ventris torminibus, plerumque febre, vigiliis, ſiti & aliis multis morbis communibus ſtipata.

XIV.

Quænam vero inteſtina tenuia nimirum an craſſa ulcere laborant, dignoſcere difficilius eſt diagnoſis autem iſta ex qualitate doloris & excretis optime ſumi poteſt.

XV.

Si enim tenuia inteſtina exulceratione graventur dolor eſt acutiſſimus, cruor & purulenta materia cum ſtercoribus omnibus permixta ſunt neque alvi dejectio eſt tam frequens, ſi vero craſſa, dolor non eſt tam atrox & poſt tormina ventriſque cruciatum frequentior fit excretio, materia illa purulenta & cruor excrementis ſupernatant.

XVI.

Prognoſtica autem ſigna ex viribus ægri & morbi vehementia petenda ſunt.

XVII.

Quo enim acrior eſt cauſa morbifica, eo pejus ſin minus major ſpes, illa enim graviora ſymptomata, hæc leviora producit, ex primis debilior fit æger, ex ultimis non ita.

XVIII.

Et cum à juvantibus & nocentibus indicatio ſumi debeat, quo minus malum ceſſerit medicamentis eo majus periculum, & contra.

XIX.

His ita præmiſſis ad curationem feſtino in ſublatione cauſæ conſiſtentem, quæ ab initio evacuantibus, abſtergentibus, mundificantibus, nec non dolores ſedantibus molienda eſt, ut & humores acres fibras inteſtinorum vellicare & ad dejectionem nimis frequentem irritare valentes enervantibus, *ut corallia, margaret. ocul. cancr. & cat.*

XX.

Inter evacuantia ad illa confugienda, quæ humorem peccantem

tem quam citiſſime à loco affecto deturbant, ſuntque repetenda, ut educantur, antequam gravius lædant.

XXI.

At bene attendendum in purgatione arbitror, ut purgantia ſimul & adſtringentia ægro propinentur, ad nimium alvi fluxum moderandum.

XXII.

Inter quæ primas tenet *rabarbarum* parum toſtum ad majorem adſtrictionem illi conciliandam ut & conveniunt *electuar. è ſucc. roſar. diaprun. lenit. ſyrup. cichor. cum rheo. caſſia extract.*, dataque occaſione granum unum aut alterum *laudan. opiat.* valde prodeſt: e.g.

℞. *Rhei elect.* ℥iß
Laudan. opiat. gr. i
M. F. Pulvis mane in juſculo ſumendus vel menſtruo conveniente *F. Hauſtus.*

XXIII.

Poſſunt & enemata tum emollientia tum mundificantia & conſolidantia in uſum revocari, ſi præcipue affectus in craſſis inteſtinis lateat. e.g.

℞. *Lact. bubul.* recent. ℥viij
Mucilag. ſem. cydoneor. ℥iß
Mell. roſar. ℥j
Ad majorem vero deterſionem ulceriſque glutinationem, *therebinth. cum vitello ovi diſſoluta* ℥i addi poteſt.

XXIV.

Humoris peccantis eductione peracta ad abſtergentia, mundificantia & conſolidantia recurrendum. ſi ulcus inteſtina craſſa

ſa obſideat enemate præcedenti theſi præſcripto curari poterit, in tenuibus autem apozemate ex vulnerariis parato vel mixtura cum *ſanguine draconis*, *lapide hæmatite* ſimilibuſque adornata.

XXV.

Si dejectio fuerit purulenta & pars affecta à pure ſuo liberata, reſtituetur in integrum medicamentis ulcus mundantibus tunc conſolidantibus, in quem finem vix aliquod remedium præſtantius *balſamo ſulphuris cum ſuccini oleo parato*, quod utrique indicationi ſatisfaciens affectus curationem non remorabitur.

XXVI.

Sed ut nihil magnæ commendationis omittam, quod non tantum ad hujus affectus, verum ad omnis generis morborum conferre poſſit, quid inquam conferre poſſit, auſim dicere antequam finem diſputationi imponam, nullum morbum feliciter tractari poſſe, niſi virium habeatur ratio, ita ut non immerito in Arte Medica (*conſervare vires*) pro decantatiſſimo haberi debeat: Faxit Deus Opt. & Max. ut hoc magis magiſque in conſuetudinem abeat, ſicque miſeros mortales ſæpius ſolito ſanitati reſtitutos videamus.

FINIS.